Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26487
Copyright: Admont, Benediktinerstift

tanto durius a virtutum impugnatur hostibus. recte post bechor sareth subiungitur. quod interpretatum angustia vel vinculum dicitur. De hac angustia per salemonem eterna dei loquitur sapientia. Fili accedens ad servitutem dei. sta in timore et prepara animam tuam ad temptationem. Hanc angustiam qui per evitando peccato iugiter patitur. qui timoris dei vinculo sollicite constringitur. filius afie. filius inquam fit libertatis. afias enim libertas interpretatur. et hoc nomine libertas illa non incongrue exprimitur. quia per peccatorum remissionem spiritus sancti gratia invisibiliter in homine operatur. De hac salubri libertate dicit apostolus. Ubi enim spiritus domini ibi libertas. Igitur per quos percepta peccatorum remissione ad hanc libertatem ex dono spiritus sancti profecerint, + vir fortis robore convenienter appellari potest. qui in ipsius et adversis quantum possibile est homini forti et constanti animo semper adherere nititur domino. Sequitur.

Et erat ei filius vocabulo saul electus et bonus. Per saulem qui interpretatur peticio vel petitus. perfecte penitentis anima intelligi potest. que dum seculi huius amorem parvipendens evomuerit. et per humilitatem confessionem ab operibus mortuis emundata fuerit. electa et bona merito dici poterit. Et non erat vir de filiis israel melior illo. Melior illo non invenitur. cui perceptus

+ filius viri gemini quod dicitur dextera mea digne appellari potuit. quia inter filios dei. inter filios eterne vite computatur. qui cum nichil sinistrum habeat. recte per dexteram significatur. Ad hanc dignitatem qui profecerit.